



Commentarii Tres in Universam Aristotelis Philosophiam

Commentarius Tertius In Libros De Coelo; De Generatione Et Corruptione;
De Anima; Et Metaphysicam Aristotelis

Crespin, François

Brvxellæ, 1652

II. An existentia distinguatur realiter ab essentiæ productione.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95375](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95375)

xiv. Respondeo 1^o, argumentum retorquendo in essentiam ipsius existentiae, ut antè.

xv. Respondeo 2^o, distinguendo maiorem, essentiae rerum possibiles sunt incorruptibiles, & idem est de existentia possibili, concedo maiorem: actuales, & idem est de existentia actuali, nego maiorem. Ex his

xvi. Colliges, intelligendo essentiam, semper intelligi existentiam, proportionaliter, si essentiam possibilem, existentiam possibilem, si actualement, scilicet actu positam extrà causas; item contrà nostrum Blatium à Conceptione, existentiam non habere esse receptum in essentia; sed esse ipsammet essentiam proportionaliter, ut jam dixi: nisi agat de esse recepto ab alio, quod non obstat; unde creaturae existunt per essentiam hoc sensu, quod non existant per aliquid realiter distinctum ab essentia; non autem ut Deus, quasi verò ita existant per essentiam, ut existant essentialiter, necessarid, illimitatè, indefectibiliter, vel ita ut existentia sit de essentia Metaphysica creaturae, licet sit de reali entitate tantum.

D V B I V M I I.

An existentia distinguatur realiter ab essentia productione.

Ante Resolutionem

xvii. Suppono existentiam esse duplicem: unam effectivam, & est ipsa essentia productio; aliam formalem, & est ipsa forma, à qua sit præcisè existens formaliter. Hoc supposito, sit

R E S O L U T I O.

xviii. **D**ico, existentia quidem effectiva non distinguitur realiter à productione essentiae realiter à sua essentia distinctae; bene formalis.

xix. Probatur prima Pars, quia essentia effectiva est effectio essentiae: ergo, &c. Probatur antecedens, quia existentia effectiva est existentia in fieri sive positio essentiae extrà causas: ergo, &c.

xx. Probatur secunda Pars, quia existentia formalis est natura posterior productione, sive ipsa essentia effecta præsuppositivè, utpotè essentia in facto esse, ergo à productione essentiae à sua realiter distinctae, distinguitur realiter, non secus ac produ-

ctio & res producta, de quo in Physica.

xxi. Confirmatur, productio terminatur ad existentiam formalem essentiae distinctae à sua essentia, ergo productio distinguitur realiter ab existentia formali essentiae realiter à sua distinctae, non secus ac via à termino: unde ad eundem terminum possunt esse diversae viae realiter, & ens connaturaliter genitum terminare, modò generationem, modò creationem, ut patet in speciebus Eucharisticis. Ex his

xxii. Colliges creaturam existentem per duas existentias à re possibili differre, per effectivam scilicet & formalem, Patrem vero in Divinis per solam formalem.

D V B I V M I I I.

An existentia formalis saltem ratione distinguatur ab essentia.

R E S O L U T I O.

xxiii. **D**ico, existentia formalis ab essentia distinguitur ratione formali, non tamen objectivà.

xxiv. Probatur prima Pars, quia essentia exprimitur per modum conditionati, si existat non involvit duo contradictoria, in suo conceptu formali; existentia verò per modum absoluti, Essentia existit & non involvit duo contradictoria in suo conceptu formali: unde existentia est conceptus rei ut existentis; essentia verò abstrahit ab eo, quod existat, vel non existat; nec bene, quod à nonnullis, essentia per modum subiecti & existentia per modum formae exprimitur, ut consideranti patebit ipsiusmet existentiae essentiam: ergo, &c.

xxv. Probatur secunda Pars, quia alioqui daretur processus in infinitum in prædicatis rebus intrinsecis; sed hoc est absurdum: ergo, &c. Probatur sequela, nam essentiae existentia haberet suam essentiam, & hæc suam existentiam; quæ iterum haberet suam essentiam, & hæc iterum suam existentiam, & sic in infinitum: ergo, &c. Hinc

xxvi. Colliges essentiam secundum se non dicere quidem formaliter & ex parte actus existentiam, sive possibilem, sive actualement, quia ratione formali ab illa distinguitur, juxta illud Aristotelis 2^o. Posteriorum, Quid autem sit homo, aliud est, quam esse, id est, quidditas hominis aliud est, quam existentia; sed objectivè tantum & materialiter.

DISPUTATIO QVARTA

De Formali Principio Individuationis.

D V B I V M I.

Quodnam sit Principium intrinsecum Physicum Individuationis.

Ante Resolutionem

i. Dixi, intrinsecum Physicum; quia de Principio effectivo aut subiectivo Individuationis, res per se evidensest: quod quaeritur igitur est, undenam proveniat, quod species aliqua habeat individua sub se solo numero distincta. Hoc præmissò, sit

R E S O L U T I O.

ii. **D**ico, cum Nominalibus contrà Thomistas communius (qui hac in parte obscure valde loquuntur) principium intrinsecum individuationis solo numero diversorum, aliud non est, quam ipsa uniuscujusque reientitas realis Physica.

iii. Probatur 1^o, talis est entitas materiae signata respectu individuum materialium, igitur etiam talis est Angeli signati respectu individuum immaterialium: si enim per ordinem ad materiam duae formae solo numero distinguantur, quidni &

K k 3

per